obviare volentes, statuimus, ut in prærogativam Dominii generalis, exactionem tributorum & censuum præcedat solutio decimarum, vel saltem hi, ad quos census & tributa indecimata pervenerint, quoniam res cum onere suo transit, ea per censuram Ecclesiasticam decimare cogantur Ecclesiis, quibus jure debentur.

C. cum non sit 33. de decimis. Similiter neque semen impensum, neque alias expensas deducere de prædialibus decimis licet, c. non est 22. & c. tua nobis 26. eod. tit.

Can. LV. *Nuper Abbates Cisterciensis Ordinis in generali Capitulo congregati ad commonitionem nostram provide statuerunt, ne de cetero fratres ipsius Ordinis emant possessiones, de quibus decimæ debentur Ecclesiis; nisi forte pro Monasteriis noviter fundandis. Et si tales possessiones eis fuerint pia fidelium devotione collatæ, aut emptæ pro Monasteriis de novo fundandis, committant excolendas aliis, a quibus Ecclesiis decimæ persolvantur; ne occasione privilegiorum suorum Ecclesiæ ulterius prægraventur. Decernimus ergo, ut de alienis terris, & amodo acquirendis, etiamsi eas propriis manibus aut sumptibus deinceps excoluerint, decimas persolvant Ecclesiis, quibus ratione prædiorum antea solvebantur, nisi cum ipsis Ecclesiis aliter duxerint componendum. Nos ergo statutum ejusmodi gratum & ratum habentes, hoc ipsum ad alios Regulares, qui gaudent similibus privilegiis, extendi volumus & mandamus, ut Ecclesiarum Prælati proniores & efficaciores existant ad exhibendum eis de suis malefactoribus justitiæ complementum: eorumque privilegia diligentius & perfectius studeant observare.* c. nuper Abbates 33. de Decimis.

38. Can. LVIII. *Quod nonnullis est Religiosis indultum, in favorem Pontificalis officii ad Episcopos extendentes, concedimus, ut cum commune terræ fuerit interdictum, excommunicatis & interdictis exclusis, possint quandoque januis clausis, suppressa voce & non pulsatis campanis celebrare Officia Divina; nisi hoc ipsum eis expresse fuerit interdictum. Verum hoc illis concedimus, qui caussam aliquam non præstiterint interdicto, nec quidquam doli vel fraudis ingesserint, tale compendium ad iniquum dispendium pertrahentes.*

C. quod nonnullis, de privileg. Verum quod hic in privilegium conceditur Episcopis, versum est in ejus commune per constitutionem Bonifacii: qua etiam revocantur privilegia præcedentia Religiosis indulta circa exemptiones ab interdictis. Ea vero constitutio multum de antiqua interdictorum severitate remittit, concedens ut tempore interdicti admittantur ad pœnitentiam non tantum periculose ægrotantes, sed quilibet etiam sani, dummodo non sint excommunicati, & dummodo caussam interdicto non dederint; tales enim non sunt admittendi, nisi pro tempore satisfaciant quantum valebunt: & in quo non valent, cautionem in futurum dent quantum valebunt: & si non aliam possunt, saltem juratoriam. Indulget præterea ut durante interdicto, Missæ & divina officia etiam sub pœna amissionis distributionum celebrentur in Ecclesiis a Clericis, qui caussam interdicto non dederunt: excluso populo, januis clausis, sine campanarum sono, submissa voce ac sine cantu. Permittit vero ut quater in anno, scilicet in festivitatibus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis Virginis Mariæ, campanæ pulsentur, & januis apertis alta voce divina Officia solemniter celebrentur, etiam personis interdictis admissis, non tamen Altari appropinquare remissis illis, quorum excessus interdicto caussam dederit: ceteris ob reverentiam dictarum solemnitatum præfatis diebus participatio permittitur divinorum. Hæc sanxit Bonifacius VIII. c. alma mater, de sent. excom. in 6.

Can. LX. *Accedentibus ad nos de diversis mundi partibus Episcoporum querelis, intelleximus graves & grandes quorundam Abbatum excessus, qui finibus suis non contenti, manus ad ea quæ sunt Episcopalis dignitatis, extendunt, de caussis matrimonialibus cognoscendo, injungendo pœnitentias publicas, concedendo etiam indulgentiarum litteras, & similia præsumendo; unde contingit interdum, quod vilescat Episcopalis auctoritas apud multos. Volentes igitur in iis & Episcoporum dignitati, & Abbatum providere saluti præsenti decreto firmiter prohibemus, ne quis Abbatum ad talia se præsumat extendere, si proprium voluerit periculum evitare: nisi forte quisquam eorum speciali concessione, aliave legitima caussa super hujusmodi valeat se tueri.* c. accedentibus, de excef. Prælat.

39. Can. LXI. *In Lateranensi Concilio* (scilicet sub Alexandro III. c. 9.) *noscitur fuisse prohibitum, ne quilibet regulares Ecclesias, seu decimas sine consensu Episcoporum de manu accipere præsumant laicali; ne excommunicatos, vel nominatim interdictos admittant aliquatenus ad Divina. Nos autem id fortius inhibentes, transgressores condigna curabimus animadversione puniri. Statuentes nihilominus, quatenus in Ecclesiis, quæ ad ipsos pleno jure non pertinent, juxta ejusdem statuta Concilii, Episcopis instituendos Presbyteros repræsentent, ut illis de plebis cura respondeant, ipsis vero pro rebus temporalibus rationem exhibeant competentem: institutos vero removere non audeant Episcopis inconsultis. Sane adjicimus, ut illos repræsentare procurent, quos vel conversatio reddit notos, vel commendat probabile testimonium Prælatorum.*

C. in Lateranensi, de præbend. Similiter Urban. III. ita sancit de Capellis Mona. c. 1. *In Ecclesiis ubi Monachi habitant, populus per Monachum non regatur, sed Capellanus, qui populum regat, ab Episcopo per consilium Monachorum instituatur. Ita ut ex solius Episcopi arbitrio tam ordinatio ejus, quam depositio, & totius vitæ pendeat conversatio.*

Can. LXII. *Cum ex eo quod quidam Sanctorum reliquias exponunt venales, & eas passim ostendunt, Christianæ religioni sit detractum sæpius, ne detrahatur in posterum, præsenti decreto statuimus, ut antiquæ reliquiæ amodo extra capsum non ostendantur, nec exponantur venales. Inventas autem de novo nemo publice venerari præsumat, nisi prius auctoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ. Prælati vero de cetero non permittant, illos, qui ad eorum Ecclesias caussa venerationis accedunt, vanis figmentis aut falsis decipi documentis, sicut & in plerisque locis occasione quæstus fieri consuevit. Eleemosynarum quoque quæstores, quorum quidam se alios mentiendo abusiones nonnullas in sua prædicatione proponunt admitti, nisi Apostolicas, vel Diœcesani Episcopi litteras veras exhibeant, prohibemus; & tunc præter id quod in ipsis continebitur litteris, nihil populo proponere permittantur. Formam vero quam communiter talibus Apostolica Sedes indulget, duximus exprimendum, ut secundum eam Diœcesani Episcopi suas litteras moderentur. Ea siquidem talis est.*

Quoniam, ut ait Apostolus, omnes stabimus ante tribunal Christi, recepturi prout in corpore gessimus, sive bonum, sive malum fuerit, oportet nos diem missionis extremæ misericordiæ operibus prævenire, ac æternorum intuitu seminare in terris, quod reddente Domino cum multiplicato fructu colligere debeamus in cælis, firmam spem fiduciamque tenentes, quoniam qui parce seminat, parce & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet in vitam æternam. Cum igitur ad sustentationem fratrum & egenorum ad tale confluentium hospitale propriæ non suppetant facultates, universitatem vestram monemus & exhortamur in Domino, atque in remissionem vobis injungimus peccatorum, quatenus de bonis vobis a Deo collatis pias eleemosynas, & grata eis caritatis subsidia erogetis, ut per subventionem vestram ipsorum inopiæ consulatur: & vos, per hæc & per alia bona, quæ Domino inspirante feceritis, ad æterna possitis gaudia pervenire.

Qui autem ad quærendas eleemosynas destinantur, modesti sint & discreti, nec in tabernis aut locis aliis incongruis hospitentur, nec inutiles faciant aut sumptuosas expensas; caventes omnino, ne falsæ Religionis habitum gestent. Ad hæc, quia per indiscretas & superfluas indulgentias, quas quidam Ecclesiarum Prælati facere non verentur, claves Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur, decernimus, ut cum dedicatur Basilica, non extendatur indulgentia ultra annum, sive ab uno solo, sive a pluribus Episcopis dedicetur: ac deinde in anniversario dedicationis tempore quadraginta dies de injunctis pœnitentiis indulta remissio non excedat. Hunc quoque dierum numerum indulgentiarum litteras præcipimus moderari, quæ pro quibuslibet caussis aliquoties conceduntur. Cum Romanus Pontifex, qui plenitudinem obtinet potestatis, hoc in talibus moderamen consueverit observare.

Canon iste habetur partim in c. ult. de reliquiis & vener. Sanct. & partim in c. cum ex eo, de pœnit. & remiss. sed tamen ob frequentiores abusus Concilium Trident. quæstorum prædicantium usum penitus abolevit, sess. 15. c. 2. de reform.

Can. LXIII. *Sicut pro certo didicimus in plerisque locis, & a plurimis personis quasi columbas in Templo vendentibus, fiunt exactiones & extorsiones turpes & pravæ pro consecrationibus Episcoporum, & benedictionibus Abbatum, & Ordinibus Clericorum, estque taxatum quantum sit isti, vel illi, quantumve alteri vel alii persolvendum, & ad cumulum damnationis majoris quidam turpitudinem & pravitatem hujusmodi nituntur defendere per consuetudinem longo tempore observatam. Tantum igitur abolere volentes abusum, consuetudinem hujusmodi, quæ magis*

magis dicenda est corruptela, penitus reprobamus: firmiter statuentes, ut pro iis sive conferendis, sive collatis, nemo aliquid quocunque prætextu exigere ac extorquere præsumat: alioquin & qui receperit, & qui dederit hujusmodi pretium omnino damnatum, cum Giezi & Simone condemnetur.

C. sicut, de Simonia. Eodem spectat decretum Tridentinum sess. 21. c. 1. de reform.

40. Can. LXVI. *Ad Apostolicam audientiam frequenti relatione pervenit, quod quidam Clerici pro exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium, & similibus pecuniam exigunt & extorquent: & si forte cupiditati eorum non fuerit satisfactum, impedimenta fictitia fraudulenter opponunt. Econtra vero quidam Laici laudabilem consuetudinem erga sanctam Ecclesiam pia devotione fidelium introductam, ex fermento hæreticæ pravitatis nituntur infringere sub prætextu canonicæ pietatis. Quapropter & pravas exactiones super his fieri prohibemus, & pias consuetudines præcipimus observari, statuentes, ut libere conferantur Ecclesiastica Sacramenta; sed per Episcopum loci veritate cognita compescantur, qui malitiose nituntur laudabilem consuetudinem immutare.*

C. ad Apostolicam, de simon. Concilii mens videtur esse, ne Clerici exigant recusando petentibus sacra ministeria, nisi pretium exsolvant; id enim indecorum est, & sordes redolet avaritiæ, præsertim erga pauperes, qui debitis sibi sacris ministeriis per egestatem fraudarentur; sed ut Episcopus ex suo officio pias & rationabiles consuetudines suis scriptis constitutionibus roboret, a quibus tamen excipiantur inopes personæ, sed iisdem astringantur locupletes; qui si morosi sint, post exhibita officia, sententiis Episcopalibus ad exolvendum compellantur. Glossa ipsa ad d. c. ad Apostolicam, de simon. huic explicationi suffragatur.

41. Postremi demum canones a sacro Concilio procusi sunt ad compescendam Judæorum pravitatem. Etenim can. 67. graves & immoderatas usuras, quas Judæi a Christianis extorquent, inhibet. Quia vero plerique Principes damnabili cupiditate perciti, & Christiano nomine indigni, ejusmodi usuras Judæis indulgent adversus Christianos infelices, ut graviora possint a Judæis hac via ditescentibus exigere tributa; illos officii sui admonet, ac præcipit, ut hujusmodi fœnora Judæorum reprimant. Utinam Principes saltem Ecclesiastici huic suo satisfaciant officio.

42. Can. 68. Judæis peculiarem indumenti gestationem præscribit, quo a Christiano populo ex primo aspectu discernantur: & vetat ne diebus anniversariis Redemptoris passioni destinatis in publicum prodeant; & pœnis plectantur condignis, si qui eorum in Christum passum & crucifixum blasphement.

33. Can. 69. districte vetat ne Judæi publicis officiis præficiantur; quorum prætextu Christianis insultare, atque infesti esse solent.

44. Can. 70. providet, ne conversi ad fidem Judæi quidquam de Judaicis superstitionibps retinere sinantur.

DISSERTATIO SUPER CANONE

Lateranensi LXIV. de pactionibus simoniacis in Monasteriorum ingressu.

1. CAnon. 64. quem visum est huc extra suum ordinem differre, ne series Canonum interjecta longiore digressione interturbaretur, sic effert: *Quoniam simoniacæ labes adeo plerasque Moniales infecit, ut vix aliquas sine pretio recipiant in sorores, paupertatis prætextu, volentes hujusmodi vitium palliare, ne de cetero fiat, penitus prohibemus: statuentes, ut quæcunque de cetero talem pravitatem commiserit, tam recipiens, quam recepta, sive sit subdita, sive prælata, sine spe restitutionis de suo Monasterio expellatur in locum arctioris regulæ, ad agendam perpetuam pœnitentiam retrudenda. De his autem, quæ ante hoc Synodale statutum taliter sunt receptæ, ita duximus providendum, ut remotæ de Monasteriis, quæ perperam sunt ingressæ, in aliis locis ejusdem Ordinis collocentur. Quod si propter nimiam multitudinem alibi forte nequiverint commode collocari, ne damnabiliter in sæculo evagentur, recipiantur in eisdem Monasteriis dispensative de novo, mutatis prioribus locis, & inferioribus assignatis. Hoc etiam circa Monachos & alios Regulares decernimus observandum. Verum ne per simplicitatem vel ignorantiam se valeant excusare, præcipimus ut Diœcesani Episcopi singulis annis hoc faciant per suas Diœceses publicari.*

Cabassutii, Notitia Ecclesiastica.

C. quoniam, de simonia. Indubium esse apud omnes debet, committi simoniam, si pactio versetur contributionis temporalis circa ipsum monasterii ingressum, & admissionem ad profitendam Religionem, quandoquidem Religio sacra quædam res est, tam in pauperibus quam in opulentis monasteriis. Atque jure merito damnatur omnis pecuniaria conventio pro admissione in Religionem, etiam in monasteriis quorum opes non sufficiunt ad alendam personam admitti postulantem: juxta decreta sapientissima Concilii Nicæni secundi act. 8. c. 18. & Lateranensis sub Alexandro III. can. 10. & hujus alterius sub Innocentio III. can. 64. Liquido id constat ex ipsa simoniæ definitione, quæ nihil est, quam rei temporalis contributio pro assequenda re spirituali, & sacra, qualis est ipsa Religio: neque ulla quantumvis arcta paupertas ab hac simonia excusat. Eaque prorsus est mens hujus Lateranensis constitutionis. Aliud enim est, recipere in monasterium indistincte pretio convento, etiamsi monasterium veram prætexat inopiam ac insufficientiam opum; & aliud, gratuito & ob solum Dei cultum admittere in Religionem, adeo ut nulla futura esset pactio, sed lubens & gratuita admissio, si posset postulans de præsentibus monasteriis facultatibus sustentari: sed quia non potest, ob id unum præcise fit pactio pro suppeditandis alimentis: quam utique rerum distinctionem pauci adverterunt. Quidam enim recurrunt circa hæc verba Canonis, *prætextu paupertatis*, ut dicant falsum & mendax fuisse illum prætextum, sic enim exponit Sanctus Raimundus loco mox citando. Alii vero supponentes veram & non fictam paupertatem, dicunt id genus simoniæ isto Canone significatum, non fuisse divini seu naturalis juris, sed tantum Ecclesiastici: quod jus & canon & approbata consuetudo possint pari facilitate & statuere & abolere. Itaque non satis est ad evitandam simoniam divino jure prohibitam, si supponas veram Monasterii paupertatem, sed necesse est, ut voluntas admittendi sit utrinque gratuita; voluntas autem paciscendi supra solam alimentorum suppeditandorum ceterorumque temporalium onerum impotentiam ac insufficientiam cadat. Neque enim monasteriorum inopiam justam præbet caussam involvendi sub una eademque pactione rei pecunia æstimabilis ipsam admissionem, quæ hac conditione simoniaca foret juri divino adversans.

2. Tres porro invenio Catholicorum Doctorum admodum diversas sententias circa pactiones donationum, quæ fieri solent occasione ingressus in Religionem. Aliqui enim indistincte ac indefinite docent hoc præcise titulo licitum esse pacisci de dote in opulentis Monasteriis. Eorum summa ratio est ista: Quia cum alimenta, reliquaque Monasteriorum onera pecuniarias expensas exigentia sint res mere temporales, nullatenus esse possunt materia simoniæ divina lege vetitæ, si pro iis supplendis conventio fiat. Adduntque ad suæ munimen sententiæ, in matrimoniis fidelium iniri dotales conventiones, & pecuniarias pactiones ad onera matrimonii sustinenda, juxta l. pro oneribus, Cod de jure dot. etiam in opulentissimis familiis; quæ tamen immunes a labe simoniæ sunt, quamvis matrimonium, cui pecuniariæ illæ conventiones accedunt, non modo sit res sacra, sed etiam Scriptura attestante magnum Sacramentum in Christo & Ecclesia, Ephes. 5. ℣. 32. Hæc est opinio Dominici Soto, cui adhæret Lessius lib. 2. de Justitia, c. 35. dub. 13. ubi dicendo licitam esse dotis conventionem pro alimentis Monialis, maxime si monasterium sit tenue, perspicue insinuat in monasteriis commodis hoc licitum esse, sed majori tamen & peculiari ratione in tenuibus. Azorius item 1. p. lib. 13. c. 9. q. 1. indistincte approbat istas in Monasteriorum ingressu conventiones, modo pro dote & alimentis fiat pactio, & non præcise pro admissione in religionem. Ceterum mox probabo non valere hanc distinctionem in divitibus Monasteriis, & postquam Azorius protulit auctoritatem S. Th. 2. 2. q. 100. art. 3. ad 4. reprobantem istas pactiones, si fiant in monasteriis opulentis, respondet ibidem Azorius, hoc genus prohibitionis, atque simoniæ non esse nisi Ecclesiastici juris, & non divini, eique a longo annorum decursu receptam ubique locorum oppositam consuetudinem derogasse, ut cessaverit illa pridem Ecclesiastica simonia. Eandem sententiam astruunt Sanchez, aliique cum Bonac. tract. de Simonia disp. 1. q. 7. §. 4. num. 4. 5. 6. Aliorum opinio, sed paucorum, in extremum oppositum vergit, nullatenus fas esse in quibuscunque monasteriis, sive commodis, sive tenuibus, de pecuniaria contributione stipulari: quæ rigiditas magis in affectu ad extremas quasque severitates consectandas, quam in ulla ratione fundatur, ut ex dicendis perspicuum fiet.

3. Tertia, eaque reliquis duabus longe præferenda sententia, est S. Thomæ, S. Bonaventuræ, S. Raimundi, præcipuæ celebritatis & sanctitatis Doctorum, simulque